

Oct. 15.

Oct. 16.

funditus

bis die xv mensis Octobris dicto castro [a] concessit. Altera vero die, scilicet die Veneris, apud Sanctum Varanum est hospitatus. De voluntate vero Liviensium infra curiam dicti castri rediens cum exercitu suo et Liviensium inter Fossatum et Cosnam tentoria fixit, et secretum quod cum Liviensibus statuerat pandit, id est quod fossatum et castrum destrueretur [b], et Faventini [c], qui in eodem castro se ad munitionem loci recluserant, possent capi [d]. Quo Faventini comperto fraudem Liviensium nostris manu armata succursum praeberant, et ipsos terrigenas cum rebus suis de hostium manibus liberaverunt, castro penitus dimisso vacuo. Quod Livenses iussione regis et favore [e] penitus destruxerunt. Plebem vero Corletensem, omni Dei postposita reverentia [f], cum campanile prostraverunt in planum. Ibidem quemdam [g] lapidem in modum pignae [h] super treunam [i] positum portaverunt; et sic rationem nobis per privilegium factam, promissam et confirmatam dicto castro non tenuit [j]. Hoc totum infortunium, quod nobis accidit, Petrus Taurellus [k] [A], Faventinus potestas, cum Amolensibus et Liviensibus de nobis ad regem lacrymabiliter reclamantibus, fieri fecit. Sed deus omnipotens, qui est secretorum inspector, sua benignitate magnam cum tempestate pluviam dignatus est mittere; et sic, quasi fugati [l] et devicti, relictis tendis cum papilionibus, media nocte Forolivium sunt reversi, non nostra virtute vel probitate, sed solius Dei dextera pugnante pro nobis, negotium procuravit, juxta illud: voluntati divinae nemo resistit vel resistere debet, qui in meritum patitur [m].

Quando imperator Fredericus coronatus est in imperatorem.

CAP. CLXVIII.

Nov. 20.

Anno Domini MCCXX die xxii intrante mense novembris coronatus est dominus Fredericus in Romanorum imperatorem in ecclesia Sancti Petri et domina Constantia [n] in imperatricem.

[a] dicto castro. Sic Codd.; sed suppl: in dicto castro, nempe Sancti Petri, ubi erat Imperator. — [b] Castrum destrueretur. Sic lego cum C. V.; perperam alii: castrum destruerent. — [c] et Faventini. Sic corrigo. Codd. habent; et Faventinos. — [d] possent capi. Sic Codd. Si supra legimus Faventinos, hic legendum, possent, vel posset capere. — [e] omni Dei postposita reverentia, C. V.; omnem Dei postpositam reverentiam, C. M. — [f] Ibidem quemdam. Sic lego, et sic videtur etiam habere C. M.; sed Cl. Mitt. legit: ibidem quidam. Deesse tamen credo aliud quoddam verbum. Hinc Cl. Mitt. supplet lapidem; et quidem exemplum hujus lectionis habemus in Cap. CLXXVI, hujus libri. — [g] in modum pignae, id est, strobili, pini domesticae. — [h] super treunam. Sic Codd. Vid. Cap. turrin et treunam habet C. V. — [i] non tenuit, Codd.; non tenuerunt, Cl. Mitt. — [j] Petrus Taurellus. Sic legit Cl. Mitt.; Petrus Taudellus, legit C. V. Utrumque potest legi in C. M.; sed Taurellus legendum est, sic enim in charta Arch. Azz., sub die 15 febr. 1220, legitur. — [k] quasi fugati, C. M.; qui fugati, C. V. — [l] qui in meritum patitur. Sic C. M. Num legendum: quod immeritum patitur, vel qui immeritum patitur? — [m] domina Constantia. Sic lego. Dominam est in C. M. Sed post domina in C. M. est lacuna, quae videtur a scriptore studio relicta, oblitus fortasse nominis ejus imperatricis. Supplevi igitur, addito nomine Constantia; nam sic vocabatur Friderici uxore.

[A] Is erat Foroliviensis.